



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla XLVII. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

REGULA XLVII.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

Conjungantur hic, quæ diximus ad e. Ignorantia supra eod. Etenim scientia nobis innata non est, sed extrinsecus accedit; proinde allegantur incumbit probatio scientiæ, l. 1, l. 2. Et l. Verius 21, D. De probat. Nisi de eo quæstio vereretur, quod vel publicè actum est, cap. 1, Ext. De postul. pralat. e. fin. Ext. qui matrim. accus. poss. vel proprium factum concernit, l. Quamquam D. Ad S. C. Fellesjan. l. Item quaritur 13, §. item si fullo vers. Et si

pallium D. Locati; vel ex officio incumbere, e. Innotuit 20, Ext. De elect. Quo spectat illud Gregorii: Non potest esse pastor excusatio, si lupus oves comedit. Et pastor nescit in e. Quimvris Ext. De R. l. His igitur casibus non ignorantia, sed scientia præsumitur: adeoque ignorantia probanda est, saltem per iuramentum; cum in animo consistat, e. Nalli De elect. lib. 6, c. 4, Ext. De sent. excem.

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.

Hæc Regula naturali æquitati profus consentanea est, ut Pomponii locus indicat, in l. Nam hoc natura 24, D. De condiç. indeb. in l. Iure natura D. hoc nostro tit. Ad hanc illustrandam iuvabit adferre, illud Ciceronis. Detrahere igitur alteri, Et hominem hominis incommodum suum augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cæcitas, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis, &c. Videtur hæc Regula hoc traducta ex cap. Suam 16, circa fin. Ext. De penis. Ex qua fit, ut & prædiorum necessarias & utiles expensas à se factas in re aliena retineat doli mali exceptione: vel recuperet officio iudicis, l. Plane 38, D. De petit. hare. l. Paulus 14, D. De doli mali. Et met. except. licet aliqui ipsi summo jure non debeantur, quod sciens prudensque illis in alienam rem contulerit, §. ex diverso eum §. seq. Inst. De rerum divis. l. 5, Cod. De rei vind. l. Iulianus 36, D. eod. tit. Sic heres ex delicto defuncti, in quantum ad eum pervenit, rectè convenitur, ne, ut inquit lex, alieno scelere dicatur heres, in l. unica C. Ex delict. defuncti. Plura exempla pete ex Glossa & aliis hic & ad l. Iure natura D. hoc tit.

Ceterum huic Reg. obicitur usucapio sive præscriptio, quæ quis rei suæ dominium amittit & alteri applicatur, l. 3, Et passim D. De usurp. Et usucap. Item bonorum publicatio in reo Maiestatis, quæ & cum iactura filiorum fit etiam innocentium, l. Quisquis 7, §. filii C. Ad leg. Jul. majest. Authent. Gazares C. De hæretic. e. Vergentis Ext. eod. tit. Et quod respondit J. C. in l. Cum puzarem 36, D. Famil. ercisc. eum, qui ex sententia iudicis ad divisionem hære-

ditatis admissus est, cum reverà heres non esset, ad restituendam partem non teneri. His Glossa ad d. l. Iure natura, ita occurrit, quod, licet hæc fiant cum aliena iactura, sunt tamen sine aliena iniuria; utpote iuris auctoritate. facit l. Iustè 11, D. De acq. vel omit. poss. At Reg. nostra disjunctim loquitur de iniuria, vel iactura; igitur alterum sufficit, ut Reg. locus sit, ob naturam disjunctorum, quorum factis est alterum evenire, §. sed plures Inst. De hered. inst. Itaque aliter hæc res discernenda est. Quod enim ad duo priora argumenta attinet de usucapione & publicatione bonorum, utrumque publici boni causa receptum est: usucapio sive præscriptio, ne rerum dominia in incerto vagarentur, l. 1 D. De usucap. Et cap. In alternativis Inst. ubi latius dicam & ut aliquis litium finis esset, l. fin. D. Pro suo: bonorum verò publicatio, ut materia subtrahatur filiis idem scelus patrum repetendi & committendi; qui aliqui solent esse imitatores patrum criminis, d. §. filii. Multa autem, inquit eleganter Julianus, iure civili contra rationem disputandi præutilitate criminum receptæ esse innumerabiles rebus probari potest. l. Ita vulnervasus 52, D. Ad leg. Aquil. Adde l. Bona fides Depos. Tertium verò argumentum de coherede per errorem admissio in divisionem hæreditatis, idè procedit, quod sententia iudicis pro veritate habeatur, l. Res iudicata D. De reg. jur. Si tamen postea doceatur, ex falsis instrumentis vel testibus sententiam latam fuisse, per in integrum restitutionem coheredi consulitur, toto tit. Si ex fals. instrum. ex æquitate huius Regule nostræ.

REGU;